Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/b22271508

8

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA HYDROCEPHALICA.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA HYDROCEPHALICA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS BELL,

SCOTO-BRITANNUS.

SOC. REG. MEDIC. EDIN. PRÆS. ANN.

SOC. NATUR. STUDIOSOR. EDIN. PRÆS. ANN.

Non intellecti nulla est curatio morbi.

CORNEL. GALL. *Eleg.*

Ad diem 24 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1796.

BENJAMINI BELL,

CHIRURG. REG. COLLEG. EDINBURG.

ET REG. COLLEG. HIBERNIC.

NECNON

SOCIET. REG. EDINBURG.

SOCIO; &c. &c.

VIRO OPTIMO,

QUO

NON EST ALIUS

AD FERRO CURANDUM

PERITIOR, EXERCITATIOR, MANUQUE PROMPTIOR,

QUIQUE

SCRIPTIS CHIRURGIAM AMPLIAVIT, ORNAVIT,

ETIAMQUE,

EX PARTE, FELICITER NOVAVIT;

HANC DISPUTATIONEM,

ACCEPTORUM BENEFICIORUM

MEMOR,

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. Cq.

JACOBUS BELL.

Mr Yellowlee

With best respects

of the Author

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIÀ HYDROCEPHALICA.

PROŒMIUM.

§ I. EX morbis, quibus obnoxia sunt hominum corpora, lethalior sanè nullus est, minùsve intellectus, quàm is, de quo nobis in animo est disputare. Veteres medici, etiamsi impuberes adortum esse neutiquam ignorarent, quo tamen consisteret, parùm perspexisse vi-

A dentur:

dentur : neque, profectò, qua naturâ esset, meliùs intellexerunt recentiores, dum WHYTTIUS fusiùs et accuratiùs exposuerit.

II. Quanto verò negligentiùs ad hunc morbum animos adverterunt veteres, tanto majore studio operam contulerunt hodierni, ut, quâ naturâ sit, liquidò cognoscerent. Etiamsi enim pauci sint anni, ex quo tempore inducti ab iis, quæ præclarè scripta edidit WHYTTIUS, animos in hunc morbum intenderunt medici; tamen, cognitis iis, quæ constante observatione et periculo compererint, non solùm, quâ naturâ sit, magis perspectum habemus, sed etiam, qua interdum curatus sit ratione, cognovimus.

III. Qui auctores de *apoplexia hydrocephalica* primùm scripserunt, ii, pro cerebri hydrope, habuerunt; et, quò dignoscerent alio hydrope, qui longus est et levis, cuique ideo nomini est *hydrocephalos chronicus*, *hydrocephalon acutum* appellârunt.

IV.

IV. Quum hi (III.) morbi non solùm diuturnitate, sed etiam signorum gravitate, adeo inter se dissimiles sint; de utrisque simul disputare, esset, res naturà diversas, et inter se abhorrentes, perperam miscere. Quare, de *acuto* tantùm *hydrocephalo* disserere, nobis in animo est.

V. *Apoplexiam hydrocephalicam* classe *cachexiarum* disponere, ut vetustioribus scriptoribus placebat, est, ut rectiùs contenderunt recentiores, propterea ineptum, quòd opinionem, quam de ejus naturâ illi acceperunt, notæ, quibus insignitur, neutiquam firmant. Hæ etenim illas, quibus, in aliis cavis, significatur aqua, adeo parùm referunt, ut, hunc morbum aliâ quadam classe collocare, prorsùs necessarium videatur.

VI. Cullenus, perspectâ hujus (V.) morbi et *apoplexiæ* similitudine, illum, tanquam hujus speciem, disposuit; et, *apoplexiæ hydrocephalicæ* nomine, definivit his verbis: "Apoplexia

" paulatim adoriens: infantes et impuberes, " primùm lassitudine, febriculâ, et dolore ca- " pitis, dein pulsu tardiore, pupillæ dilatatio- " ne, et somnolentia afficiens."

VII. Cullenum morbum, ad quem disputatur, aptè disposuisse, et, etiamsi parùm præcisè definiverit, præcipuis tamen insignîsse notis, a plerisque conceditur auctoribus.

ENARRATIO SIGNORUM.

VIII. *Apoplexia Hydrocephalica* infantes potissimùm, vel saltem impuberes, adoritur. Adultos autem raрò tentat; et etiam ex impuberibus, quibus haud rarò mortem præmaturè affert, ii, qui pauciores annos nati sunt, quàm qui plures, ei opportuniores videntur.

IX. Eos, præ cæteris, infantes vexat, quibus glandulosæ cervices sunt, et præcocia atque alacria ingenia. Quanquam non est,

quamobrem,

quamobrem, a parentibus ad liberos unquam, hæreditatis instar, pervenire opinemur; tamen quarundam familiarum omnes, vel saltem complures liberos, deinceps interimit.

X. Etiamsi hic morbus, ut suprà (1.) diximus, plerumque lethalis sit; tamen eo periculosior est, quo provectiores ætate sunt ii, qui eo cruciantur. Tum enim sævior est; citiùs et vehementiùs increscit; et *apoplexiam* magis simulat.

XI. Morbus, ad quem disputatur, modò tanquam ex insidiis adoritur; modò, subitò et improvisò. Sed, quo modo cunque invadat, auctores, præeunte Whyttio, ejus historiam in tres partes, seu periodos, diviserunt, in quibus signa diversa, quaque sua, enarrantur. Neque profectò inepta est hæc divisio, quandoquidem cum ea concordant signa, quæ, progrediente morbo, manifestè apparent.

XII. Tempus, quo quæque (XI.) periodus completur, aliàs aliud est; adeo profectò, ut de eo quidquam certò præfinire nequeamus.

XIII. Similem ob (XII.) causam, certo tempore et morbum ipsum circumscribere non possumus. Cognitis enim iis, quæ observârunt auctores, qui ad eum animos adverterunt, hoc, neque ampliùs, affirmare licet, spatio temporis, quod a duabus ad sex hebdomadas variat, plerumque finiri.

XIV. Morbo nondum adeo gravi, ut a medico cognoscatur, æger languescit et pigrescit; solitam exercitationem aversatur; neque, ut sanus solebat, cibum appetit.

XV. Pòst paulò, his (XIV.) invaletudinis notis superveniunt eæ, quæ primam (XI.) periodum insigniunt. Arteriæ citatiùs moventur; labant vires; pallet facies; macrescitque universum corpus.

XVI. 1. Eodem (xv.) ferè tempore, vel paulo forsitan maturiùs, caput vehementer dolet; modò nausea movetur, modò vomitus; sic ut miserandus æger maximâ molestiâ vexetur.

2. Nulli verò parti semper inest dolor. Licèt enim, præ cæteris partibus, doleat sinciput; tamen interdum dolet caput ab alterutro latere, et, quo ex latere dolet, id versus inclinatur. Quinetiam, dolent haud rarò ima colli vertebra, humeri, imò ipsa etiam membra inferiora; atque, quamvis rariùs, intestina torquentur.

3. Vomitione semel quotidie, vel saltem secundo tertiove quoque die, æger vexatur: neque, profectò, insolitum est, vomitionem et capitis dolorem sic vices alternare, ut, illa leniore, hic gravior sit, hoc autem leniore, gravior illa.

XVII.

XVII. Cùm eò processum sit, febris increscit ; et oculi, præ acri nimis sensu, lumen refugere, atque, admotâ lucernâ, dolere incipiunt. Lecto nunc ægri plerumque tenentur, sed rarò obdormiscunt. Sæpe, tanquam vermiculati, nares carpunt, et, fugacem dum capiunt somnum, dentibus stridunt. Facies, quæ initio (xv.) pallida erat, nunc plerumque rubescit ; sed, quod mirum imprimis est, interdum in una tantummodo gena inest rubor.

XVIII. Hoc ferè (xvii.) tempore, ægroti, maximè autem adulti, gravi vexantur delirio ; et, siquando obrepserit somnus, tanquam perterriti, subitò expergiscuntur. Alvus plerumque compressa est : interdum verò soluta ; et ea, quæ infrà transmittit, subviridia sunt colore, tetrumque sibi proprium odorem edunt.

XIX. Cùm eò (xviii.) perventum est, lingua plerumque albida est ; sed, sub finem

morbi,

morbi, eum ruborem ducit, qui *apthas* præcedere solet. Extremum ubique corpus incalescit, in primis autem caput et præcordia ; et interdum ex illo sponte fluit sudor, qui tamen morbum neutiquam levat. Imò etiam, profluvium sanguinis e naribus nihilo plus ægro affert levaminis.

XX. Hoc (XIX.) tempore, et durante quidem morbo, urina diversorum ægrorum varia adeo est, ut ex ea, quæ sit morbi natura, certò cognoscere non possimus.

XXI. Notæ, quas (XV.—XIX.) enarravimus, primam morbi periodum insigniunt. Ineunte verò secunda, arteriæ, quæ antea frequenter at æqualiter movebantur, tardè, atque quòd ad et vim et intervalla inæqualiter, micant.

XXII. Per hanc (XXI.) morbi periodum, perstant pleraque ex signis, quæ in prima apparebant. Præterea, tantùm abest, ut remittat calor, ut potiùs intendatur ; quamquam

ictus arteriarum tantò plerumque solito tardiores sunt, ut haud ampliùs quadragies, sexagesimâ quaque horæ parte, repetantur. Remittit nunc capitis dolor; cessat vomitus; cibus cupidé devoratur, et ventriculo sedet devoratus.

XXIII. Sub idem (xxii.) tempus, vel aliquanto maturiùs, ægri strabones fiunt; iis oculorum pupillæ dilatantur, resque naturâ simplices, duplices cernuntur. Alvus etiamnum pertinaciter astricta est; atque vermes, vel saltem aliquid solutos ferme vermes simulans, infrá, at absque ægri levamine, transmittuntur.

XXIV. Tertiâ periodo incipiente, arteriæ iterum æqualiter micant; adeoque incitatè, ut nonnunquam, sexagesimâ quaque horæ parte, ducenties decies moveantur.

XXV. Cùm eò (xxiv.) gravitatis processit morbus, æger gravi lethargo opprimitur, et

merus

merus strabo fit: oculorum simul pupillæ dilatantur, et, a clariſſima etiam luce, *iris* ne quidem ſenſiculum capit, atque viſus, ferè ex toto, aboletur. Facies ſæpius, quàm antea, rubore ſuffunditur; et cadaveroſus ſubinde pallor fugat ruborem.

XXVI. Spiritus, per totum morbum, ſed nunc præcipué, teter eſt et graveolens. Fæces et urina, ægro inſcio, ex inteſtinis et veſica elabuntur; et, quibus, duabus primis periodis, dura alvus erat, iis nunc haud raró soluta eſt.

XXVII. Hoc circiter tempore, non ſolùm palpebræ paralyticæ ſæpe fiunt, ſed etiam modò dextrum modò ſiniſtrum corporis dimidium; atque miſerandus æger, quantis ærumnis prematur, quantiſque conficiatur angoribus, fari neſcius, tremulas fronti ſubinde apponit manus.

XXVIII. Cùm eò perventum est gravitatis, oculi inflammationem capiunt; et non solùm truncus corporis, sed etiam membra, rubore, hìc illic, suffunditur. Æger nunc animam laboriosè et interruptè reciprocat; vel ægerrimè, vel non omnino, devorare potest; musculi, eo nolente et nesciente, subsiliunt; tandemque, omnibus musculis unà graviterque convulsis, effunditur anima, corporeque exanimi atra mors potitur.

XXIX. En notas, notarumque ordinem, quibus insigniri solet *apoplexia hydrocephalica*. Intelligendum autem est, rarò omnibus, quæ memoravimus, signis cognosci; et nonnunquam etiam ea, quibus aliis morbis optimè dignoscitur, vel prorsùs abesse, vel adeo obscura esse, ut vix, sæpe ne vix quidem, observari possint. Singulas autem facies, quibus variatur, describere, nos ab incepto longiùs traheret: quocirca, ad rem nostram satìs erit, præcipuas tantùm pressè, et tanquam obiter, perstringere.

XXX. 1. Febris, a qua incipit hic morbus, cuique plerumque non constat forma, intermittentem nonnunquam adeo simulat, ut medicus *cinchonæ* corticem, neque, ut videtur, frustra, assumendum curet.

2. Quinctiam, interdum, maximè autem cùm plectuntur adulti, periodi diversæ distingui non possunt.

3. Denique, nonnulli hoc morbo perièrunt, in quibus, ante mortem, apparuerunt nulla ex iis signis definitione comprehensis, ex quibus adesse medici cognoscunt.

DIAGNOSIS.

XXXI. *Apoplexiam hydrocephalicam* aliis morbis, quibus cum eâ similitudo est, dignoscere, ut maximi momenti est, sic etiam difficillimum. Morbi, quibus communia sunt cum eâ plurima, sunt verminatio et morbida dentitio.

XXXII.

XXXII. Mala, quibus, primâ *apoplexiæ hydrocephalicæ* periodo, afficiuntur ægri, nonnunquam ea adeo simulant, quæ verminatione enascuntur, ut, uter morborum adsit, peritissimi etiam medici cognoscere nequeant. Inter duos autem morbos, hoc interest, quòd, hoc urgente, membra multo frequentiùs spasmis afficiuntur, multoque minùs, præter naturam, incalescunt.

XXXIII. Quin morbida etiam dentitio, pro *apoplexia hydrocephalica* habeatur, nemini enimvero dubium videri potest, qui, quàm inter se similia signa illius morbi et verminationis sint, jam cognoverit.

XXXIV. Præterea, varietas signorum, quæ ex *apoplexia hydrocephalica* proficiscuntur, efficit, ut, utrùm adsit, an alteruter (XXXI.) morborum qui eam adeo simulant, certò cognoscere, imprimis arduum sit. Neque hoc mirum est, cùm præsertim, in prima ejus periodo, etiam

etiam cùm signa minimè ambigua sunt, haud rarò morbi opinione labamur.

XXXV. Quòd si quis, nondum duodecim aut quatuordecim annos natus, capite graviter dolet, simulque languore, vomitu, et febre cui non constat forma, afficitur; neque remittunt hæc signa, catharticis bis terve peritè adhibitis; dubitare vix possumus, quin morbo, de quo disputatur, laboret. Præterea, erit, quamobrem ita opinemur, siquando his signis afficiatur is, cui fratrem aut sororem hic morbus eripuerit. Vel, si qua dubitatio etiamnum relinquitur, signa, a quibus incipit secunda periodus, certiorem, quis sit morbus, medicum facient.

MORBI CAUSÆ ET NATURA.

XXXVI. Quo consistat proclivitas in hunc morbum, et quibus causis hic concitetur, adeo obscurum est, ut, quam operam ad hæc explicanda

plicanda impenderint auctores, ea parum utique processerit. .Multa enimvero, non solùm quibus in eum proclive corpus reddatur, ſed etiam quibus in proclivi jam corpore concitetur, memorata sunt. Sed ex his multa inter se adeo dissimilia sunt, ut, quemadmodum in vivum corpus similiter agant, animo vix possimus concipere. Imò etiam, adeo parum explorata habent ipsi medici, qui, sua quisque, in apertum protulerunt, ut digna videantur, quæ silentio prætereamus.

XXXVII. Qua naturâ sit morbus, quem agitamus, optimè cognoscetur ex observatis iis, quæ incisa cadavera eorum, quos de medio sustulit, exploranti sese offerunt. Cùm ita sit, ea, qualia in explorantis conspectum venerint, breviter, hìc loci, recensere, a re nostra haudquaquam alienum erit.

XXXVIII. In primis memoratu dignum est, quippe cùm signum sit ferme constans, patefacto cerebro, in ventriculis, in superficiem

multo rariùs, duas modò, modò sex uncias liquoris limpidi, aquæ similis, reperiri.

XXXIX. 1. Verùm, etiamsi plerumque ita (xxxviii.) sit, tamen interdum, cùm signa haud ambigua *apoplexiam hydrocephalicam* prodiderint, nihil aquæ in patefacto cerebro conspicitur.

2. Quoties verò ita (xxxix. 1.) est, sanguine, id quod in scriptis silentio præterierunt complures auctores, vasa, præter naturam, opplentur; usque interdum eò, ut perinde distendantur, ac si quis *anatomicorum* immisso affabrè liquore ea peroptatò implevisset. Imò etiam, interdum vasa sic distenta, et liquor effusus, ferro cerebrum patefacientis emissitiis oculis simul obveniunt.

3, Nunnunquam, ubi in conspectum veniunt vasa sanguine adeo (xxxix. 2.) oppleta, apparent etiam signa, quibus, inflammationem præivisse, certò cognoscimus. Talia sunt ve-

ræ membranæ cerebri, hìc illic, concretæ, atque luci imperviæ; et his, hìc illic, adhærens membranula spuria, qualis, post inflammationem, visceribus cùm thoracis tum abdominis obducta conspicitur.

XL. Præter hæc autem, quæ (XXXVIII.-XXXIX.) jàm nunc memoravimus, tumores in aliis atque aliis cerebri partibus inventi sunt; qui, si modò ad morbum gignendum quoquomodo conferant, iis fortasse annumerandi sunt, quibus concitetur

XLI. His (XXXVIII.—XXXIX.) cognitis, quæ sit *apoplexiæ hydrocephalicæ* natura, quadantenus explicare possumus. In primis satìs constat, effusum liquorem neutiquam esse signum, sine quo hic morbus non potest existere; et hinc in aperto est, quantùm alius hic sit, ac hydrops, cujus proprium signum est effusum serum. Iisdem igitur causis morbos adeo inter se dissimiles, id quod nonnulli ausi sunt, attribuere, veræ philosophiæ prorsùs absonum est.

XLII.

XLII. Etiamsi, præ exigua scientia, naturam *apoplexiæ hydrocephalicæ* penitùs patefacere nequeamus; tamen, iis inter se comparatis, quæ explorata habemus, nobis est in potestate sic in aperto ponere, ut meliùs intelligatur.

XLIII. Si enim teneamus in memoria, quoties urgeat *apoplexia hydrocephalica*, vasa externi capitis sanguine, præter solitum, oppleta conspici; arterias, ubique corporis, enixiùs moveri; oculos lumen refugere; denique, ægrum persæpe vehementer delirare, haud raro etiam ex naribus sanguinem profundere: dubitare, enimvero, vix possumus, quin id, ex quo, tanquam trunco, rectà minùsve rectà omnia propagantur signa, sit sanguis continentibus vasis, præter naturam, cumulatus; quod efficit, ut interdum nonnihil superveniat inflammationis, utque, ante mortem, tantùm non semper aquati quid exhalantibus arteriis effundatur.

CURANDI RATIO.

XLIV. Medicus adhibitus, ut *apoplexiâ hydrocephalicâ* laboranti opem afferat, incertus consilii est, quà facere hoc possit; et periculo compertus, quantillùm plerumque profecerint data quondam medicamenta, cogitur, utcunque invitus, confiteri, imbecilliorem esse medicinam, quàm morbum.

XLV. Verùm, etiamsi morbum medicinam raro admittere certò sciat medicus, tamen spe, misericordiâ, et officio inductus, aliud atque aliud experiri mavult, si quo morti ægrum eripiat, quàm desperare; eòque magis, quòd medicina, quamvis sæpius fefellerit, interdum tamen sic respondit, ut optatam ægro attulerit salutem.

XLVI. Hanc rei nostræ partem persequendo, nobis in animo est, primùm, quamdiu animi incerti sumus, utrùm *apoplexiâ hydrocephalicâ*, an

an verminatione, afficiatur æger, medicamenta dare, quæ, utrocunque morborum vexetur, æquè ferè proficiant : deinde, si signis haud ambiguis *apoplexiâ hydrocephalicâ* implicari cognoverimus, inflammationem, qua initio insignitur, quamprimum reprimere, signaque graviora mitigare : et postremò, si, medicinâ nihil obstante, inveteraverit morbus, usquequo arteriis exhalantibus effluxerit aqua, efficere, si quà possumus, ut aliorsum hæc derivetur. De his singulis perpauca nunc dicere, nobis in animo est.

CONSILIUM PRIMUM.

XLVII. 1. Si parum constat, utrùm *apoplexiâ hydrocephalicâ*, an verminatione tentetur æger, optimum factu est, leni vomitione ventriculum evacuare.

2. Quinetiam, cùm, incipiente hydrocephalo, de quo disputatur, alvus plerumque pigra sit,

hanc

hanc idoneis medicamentis ciere, haud alienum est. Hunc in finem, assumendus est *hydrargyrus muriatus mitis* semel, vel si res postulent, iterum iterumque, idoneis interjectis temporibus.

3. Præterea, si sit, quamobrem vermes tetros ægri penetralia fœdare suspicemur, oportet præcipere, ut assumantur medicamenta, ex iis quæ intestinos hostes, necatos vel vivos, eliminandi facultate pollent.

XLVIII. His factis, si nihilo minùs æger febricitet, atque dolore capitis et vomitu crucietur; neque possit alvus, nisi magna vi cathartici, moveri; tum sanè est, quare opinemur, morbum non in alvo, sed in capite, consistere. Omni igitur dubitatione sublatâ, properato opus est, ut cognitum morbum idoneâ curatione discutere aggrediamur.

CONSILIUM SECUNDUM.

XLIX. Hunc in (XLVIII.) finem, oportet sanguinem, quo nimis nunc oppleri vasa cerebri verisimillimum est, aliorsum, primo quoque tempore, derivare. Quibus hoc efficacissimè fieri potest, ea sunt missio sanguinis, exulceratoria, cathartica; et, præterea, alia complura, quæ, cùm infrà (LIII.—LV.) singulatim memoranda sint, non opus est hìc nominatim recensere.

L. *Sanguinis miſsio.*—1. Quantitas irrequieti sanguinis, cùm in universo corpore, tum in qualibet parte, citissimè minuitur venam grandiusculam feriendo. Urgente verò *apoplexiâ hydrocephalicâ*, sanguis usque eò sic elici, donec a vasis cerebri satìs derivetur, non potest, quin simul faciat, ut multo, quàm aliter, periculosior debilitas, pòst aliquantò, superveniat.

2. Non

2. Non autem tali (L. I.) metu a sanguinem mittendo semper absterrendi sumus. Ex adultis enim, in quibus, præ impuberibus, semper magna vis morbi est, venam arteriamve semel, et haud scio an iterum, ferire opus erit. Quoties tutò fieri potest, præ ceteris, reseranda est alterutrius temporis arteria, aut alterutra juguli vena.

3. Tenerioribus verò annis, quando ex grandiusculis vasis sanguinem detrahere, ob causam modò (L. I.) dictam, periculosum est, satius erit, ex temporibus, partibusve quibuslibet capiti vicinis, hirudinibus impositis, aut admotis cucurbitulis cruentis elicere. Sanguine enim sic misso vasa cerebri aliquatenus deplentur, neque tamen hinc debilitatur æger.

LI. *Alvi exinanitio.*—Cathartica, qualia, ineunte morbo, adhibenda curavimus, nunc iterum in auxilium vocanda sunt. Major autem eorum vis nunc, quàm antea, devoranda est;

est; propterca quòd intestina, præ torpore, qui iis inest, ægerrimè moventur. At abstinendum tamen est a catharticis, siquando æger profluvio alvi sponte laboret.

LII. *Exulceratio.*—Medicamenta quoque, ex iis quæ exulcerant, *nuchæ* vel abraso capiti superimposita, multùm contra *apoplexiam hydrocephalicam* valent, imò etiam interdum eam prorsùs discutiunt. Exulceratorium, capiti admotum, debet amplum adeo esse, ut totum capillitium eo supercontegatur. Quæcunque autem pars exulceratur, aliquopiam unguento stimulante curanda est, ne, renascente cuticulâ, optato maturiùs arescat.

LIII. *Refrigeratio*.—Utrùm prodesset, necne, caput refrigerare, nondum compertum est periculo; at profuturum tentatum verisimillimum videtur.

LIV. *Calor.*—Corpus totum, vel ejus partem, in tepidarium immergere, parùm, ad *apo-*

 plexiam

plexiam hydrocephalicam curandam pollere, satìs supèrque experientiâ constat. At hoc morbo implicito semel insigniter profuit vaporarium.

LV. *Poſitura capitis.*—Hìc loci, haud inutile erit obiter memorare, quantùm proficiat, ægroti caput suggestis pulvinulis quàm maximè suffulcire. Corpore enim sic posito, ideoque sanguine in caput remissiùs influente, aliquatenus obstari potest, ne vasa cerebri, quorum plenitudinem nimiam consultò optamus minuere, sanguine nimiopere impleantur.

LVI. *Signa mitiganda.*—1. Medicamenta (L.—LV.) persecuti, quibus, adjuvante simul ab incitantibus abstinentiâ, *apoplexiam hydrocephalicam* initio conamur ad sanitatem perducere; animadvertamus, si quà graviora signa, imprimis vomitus et capitis dolor, quibus vehementer cruciatur ægrotus, levari possint.

2. *Vomitus*

2. *Vomitus.*—Ad hunc sedandum, plurimùm pollet *potassa* aquâ soluta et acidis commixta, si modò, dum etiamnum effervescit, ab ægro devoretur. Hujusmodi haustui, si non responderit compluries repetitus, addendum est plus minus *tincturæ opii*, pro modo periculi.

3. *Dolor capitis et insomnia.*—Ad dolorem leniendum et etiam somnum conciliandum, opium cùm concretum tum solutum peculiariter ferme efficax est. Plerumque quoque idem facit pedum aquâ tepidâ lavatio; licèt nonnunquam opinione seciùs procedat.

CONSILIUM TERTIUM.

LVII. Si, medicamentis (L.—LVI.) parùm valentibus, morbus usque eò protractus fuerit, ut sit, quamobrem aquam in ventriculos vel in superficiem cerebri jam effusam esse opinemur, oportet, primo quoque tempore, efficere, si quà possimus, ut hinc in sanguinem absorbeatur.

LVIII. Hoc (LVII.) consilio, non solùm exulcerare debemus, sed etiam alvum simul et urinam movere. Quinetiam, eundem in finem, fortasse haud inutile erit, capite scintillulas *electreas* subinde elicere.

LIX. 1. Vi autem perficiendi, ut aqua, in cava effusa, hinc in sanguinem resorbeatur, omnibus aliis præpollet hydrargyrus. Cùm ita sit, quamprimum adhibendus est; et, profectò, parcâ haud manu, cùm præsertim hoc morbo implicati, præ torpore, medicamentis etiam efficacissimis ægerrimè commoveantur. Quò igitur ad spem respondeat, non solùm ipse ubertim devorandus est, sed etiam unguentum ex eo identidem infricandum externo corpori.

2. Confitendum autem est, vanam plerumque esse expectationem, quam commovent hydrargyrus etiam sic (LIX. 1.) adhibitus, et omnia quidem alia medicamenta, quæ hactenus

medici

medici experti ſunt. Etenim non bene intellecti rarò ulla eſt curatio morbi.

LX. *Virium redintegratio.*—Siquando, medicamentis, tempeſtivè adhibitis, morbus ad ſanitatem perductus fuerit, opus erit fractas convaleſcentis vires quamprimum reficere. Hoc conſilio, oportet convaleſcentem ſeſe quotidie leniter exercitare; cibo valente, et vino dilutiore vivere; et vel diætâ vel medicamentis, ex iis quæ alvum leniter emolliunt, providere, ut, quotquot eunt dies, ſemel ſaltem deſideat. Sic curando ſeipſum diligenter, brevi vires, ex toto, redintegrabit.

PROPHYLAXIS.

LXI. Tripartitam (XLVI.) curationem perſecuti, rem noſtram ad finem priùs perducere non poſſumus, quàm, qua ratione arceatur morbus, ad quem curandum medicina parùm plerumque valet, oſtendere conati ſimus. Imprimis

primis enim medicorum est arcere morbos, quos, si invaserint, curare nequeunt.

LXII. Confitendum verò est, hunc morbum interdum adeo subitò et inopinanter invadere, et initio adeo ambiguum esse, ut, præ ignorantiâ nostrâ, eum arcendi occasio non offeratur. Quòd si unus ex liberis familiæ in eum inciderit, et periverit, præcavendum est idoneo regimine, ne itidem incidant et pereant fratres et sorores.

LXIII. Quale verò regimen idoneum sit, incertum id est, et profectò erit, donec, quo consistat proclivitas in morbum, et quibus causis hic concitetur, meliùs exploratum habeamus. Præ ignoratione igitur, in qua etiamnum versamur, et naturæ et causarum morbi; tantùm nobis in potestate est, id regimen præscribere, quod plurimùm profuisse periculo compertum est. Quid hoc sit, paucis dicendum est.

LXIV. *Apoplexiam hydrocephalicam* arcendi causâ, multùm proficiet, leni at quotidianâ exercitatione uti, simulque temperantiâ in victu; et alvum, sicubi tarda et pigra sit, catharticis lenioribus movere. In hujusmodi etenim usu diligenter perseverando, providebitur, ne sanguine nimiopere impleantur vasa capitis, in quorum utique plenitudine proclivitas in hunc morbum, ex toto, vel saltem magna ex parte, consistere videtur.

LXV. Verùm si, etiam dum in tali (LXIV.) vivendi ratione perseveratur, caput evidente nullâ causâ doleat, vel aliud quid imminere *apoplexiam hydrocephalicam* significet, tunc ad efficaciora, quibus arceatur, temporè decurrendum est. Hunc in finem, oportet primùm *nucham* exulcerare; et deinde, prope caput, facere fonticulum, atque obstare, ne antè ducatur cicatrix, quàm præterfluxerint anni, quibus labentibus, caducum genus hominum in hunc morbum proclive existit.

LXVI. Si quando sanguis ex naribus eorum, quibus proclivitas in *apoplexiam hydrocephalicam* putatur inesse, profluat, bonum est; quippe cùm nihil ferè periculi afferat, et, id quod sanè optandum est, ex vasis cerebri aliquatenus derivet sanguinem. Tali profluvio natura, consultrix et provida nostri utilitatum, sæpe arcet morbum, gravem utique et periculosum; quem, si modò invaserit, plerumque ne quidem ipsa, nedum ministrix ejus medicina, potest curare.

FINIS.

9